



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **QUI A PUERIS** TEMPLUM, REGINAE APOSTOLORUM  
DICATUM IN URBE,  
AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Qui a pueris Mariam, Christi  
Matrem, unice amare consuevimus, nullam sane occasionem omittimus augendae tantae Virginis gloriae, et  
propagandae famae, et gratiae ac bonitatis amplificandae, quantum maxime possumus: certum enim habemus quidquid  
honoris in Matrem impendatur, id in beatissimi eius Filii recidere gloriam, qui est Dominus Noster Iesus Christus, Verbum  
Patris atque spendor substantiae eius. Qua re, cum dilectus Filius Renatus Perino, Moderator Generalis Societatis a S.  
Paulo Apostolo, incidente centesimo anno ab ortu Iacobi Alberione, illius Societatis Conditoris, item abeunte  
septuagesimo anno ab Sodalitatis institutione, atque tricesimo a consecratione templi Reginae Apostolorum, quod  
quidem est Romae eiusdem Societatis sedes fere ac domicilium pietatis, datis litteris ab hac Apostolica Sede petierit, suo  
scilicet suorumque nomine, ut sacra illa aedes in album Basilicarum Minorum referretur, cumque Venerabilis Frater  
Noster Hugo S. R. E. Cardinalis Poletti, Noster in Urbe Vicarius, has litteras suffragio suo muniverit, Nos bene  
consideratis sive templi ipsius structura, quam nobili, sive pietate ac religione, quae ibi ceu ignis aluntur, violentes  
praeterea merita Societatis a S. Paulo quodammodo rependere erga Ecclesiam, simulque viros illos mulieresque ad  
altiora stimulare, bene fieri censuimus, si illius expostulationi concederemus. Iis ergo probatis, quae Sacra Congregatio  
pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuerit factis olim a Nobis potestatibus, placet templum «Apostolorum Reginae»,  
cuius mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestari, cum iuribus atque liturgicis privileges rite  
competentibus, servatis iis, quae decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI Iunii, anno MDCCCCLXVIII, statuit.  
Contrariis non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV Aprilis, anno MDCCCCLXXXIV,*  
*Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria  
Editrice Vaticana